



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

1 De rebus diuinis & humanis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

non dependet ex alia causa nisi ex sola Dei voluntate, unde ea quæ ad principium mundi pertinent, demonstratiue probari non possunt, sed sola fide tenentur prophetice per spiritum sanctum reuelata: sicut Apostolus post præmissa verba subiungit, Nobis autem reuelauit Deus per spiritum sanctum. Est autem valde cauendum, ne ad ea quæ fidei sunt, aliquas demonstrationes adducere præsumat propter duo. Primo quidem, quia in hoc derogat excellentiæ fidei, cuius veritas omnem rationem humanam excedit secundum illud eeccl. 3. Plurima sensuum hominis ostensa sunt tibi: quæ autem demonstratiue probari possunt, rationi humanæ subduntur. Secundò, quia cum plerumque tales rationes frivola sint, dant occasionem irrisionis infidelibus, dum putant quod propter rationes humanas, his quæ sunt fidei assentiamus, & hoc expresse apparet in rationibus hic inductis, quæ derisibiles sunt, & nullius momenti.

Quod enim primo inducit de cereo paschali, non habet robur, nisi autoritatis probare autem per autoritatem, non est demonstratiue probare, sed fidem, vel opinionem facere: & tamen multo esset ualidior autoritas sacre scripturæ, quam benedictio paschalis cerei, præsertim cum sine ascriptione annorum mundi cereus paschalis benedici possit. Nō enim est de necessitate paschalis cerei talis ascriptio. Unde in multis terris non est consuetum, quod aliquid cereo ascribitur.

Quod etiam secundo opponitur, derisibile est: non enim ex crescentiæ annorum lunarium ad solares computantur ab initio mundi, sed ab aliqua determinata radice, puta, ab aliqua oppositione solis & lune, vel ab aliqua coniunctione, vel ab aliquo huiusmodi, sicut est in omnibus aliis computationibus astronomicis.

**A** ret trib. personis. ergo est nomen essentiale: sed nolum essentiale multiplicatur in diuinis. ergo non possumus dicere quod in Deo sint plures idee.

**R**ESPON. Dicendum, quod duplex est pluralitas. vna quidem est pluralitas rerum, & secundū hoc non sunt plures idee in Deo. Nominat enim idea formam exemplarem. Est autem una res quæ est omnium exemplar. I. diuina essentia, quam omnia imitantur, in quantum sunt, & bona sunt. Alia uero pluralitas est secundum intelligentiæ rationem, & secundum hoc sunt plures idee: licet enim omnes res in quantum sunt, diuinam essentiam imitentur, non tamen uno & eodem modo omnia imitentur ipsam, sed diuersimode, & secundum diuersos gradus. Sic ergo diuina essentia secundum quod est imitabilis hoc modo ab hac creatura est propria ratio, & idea huiusmodi creature, & similiter de aliis: unde sicut in hoc sunt plures idee secundum quod intelligitur diuina essentia secundum diuersos respectus, quos res habet ad ipsam, eadem diuersimode imitantes: huiusmodi autem respectus non solum intelliguntur ab intellectu creato, sed etiam ab intellectu increato ipsius Dei. Scit. n. Deus & ab æterno sciuit, quod diuersæ creature diuersimode essentiam imitaturæ, & sicut in hoc ab æterno fuerit in mente diuina plures idee, sicut rationes propriæ rerum intellectæ in Deo. Hoc enim significat nomen idee, ut sit. sicut quæ iam forma intellecta ab agente, ad cuius similitudinem exterius opus producere intendit, sicut edificator in mente sua præcipit formam domus, quæ est quasi idea domus in materia hęc.

**A**d PRIMVM ergo dicendum, quod Aug. intelligit esse aliam & aliam rationem secundum diuersitatem respectuum, ut dictum est.

**A**d II. dicendum, quod cum dicitur. Secundū hoc res sunt distincte, prout Deus earum distinctionem cognoscit, hæc locutio est duplex: quod enim dicitur, secundum quod Deus cognoscit, potest referri ad cognitionem diuinam ex parte cogniti, uel ex parte cognoscentis. Si ex parte cogniti, sic uera est locutio: est enim sensus, quod hoc modo res sunt distincte, sicut Deus cognoscit eas esse distinctas. Si uero referatur ad cognitionem ex parte cognoscentis, sic locutio falsa est: erit enim sensus, quod res cognite illum modum distinctionis habent in intellectu diuino, quem habent in seipsis: quod falsum est, quia in seipsis res sunt diuersæ essentialiter, non autem in intellectu diuino, sicut et res in seipsis sunt materialiter, in intellectu autem diuino immaterialiter, & in hoc ultimo sensu procedebat obiectio.

**A**d III. dicendum, quod ratio illa procedit de pluralitate reali, talis enim pluralitas in nominibus essentialibus non inuenitur, sed solum pluralitas quæ est secundum intelligentiæ rationem.

QVÆSTIO II.

**D**EINDE quæsitum est de pertinentibus ad potentiam Dei.

- ¶ Et primo, Vtrum in Deo sit uirtus.
- ¶ Secundo, De quodam effectu diuinæ uirtutis, utrum saque sint super calos.
- ¶ Tertio, Ad quod uirtus diuina se extendere possit.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Deo sit uirtus.

**A**D PRIMVM sic proceditur. Videtur quod in Deo non sit uirtus, quia ut Phil. dicit in 1. de celo.

1. d. 36. q. 2. d. ar. 100. a. 139.

2. p. q. 2. ar. 1. 2. & cõtra 1. 4. 93. q. 4.

INCIPIT QVODLIBET QVARTVM.

QVÆSTIO PRIMA.



QVÆSTIVM est de rebus diuinis & humanis.

- ¶ Circa res diuinas quæsitum est.
- ¶ Primo, De essentialibus.
- ¶ Secundo, De personalibus.
- ¶ Circa essentialia quæsitum est.
- ¶ Primo, De scientia Dei.
- ¶ Secundo, De eius potentia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in Deo sint plures idee.

**C**IRCA scientiam quæsitum est, utrum in Deo sint plures idee, & ut quod sic. Dicit. n. Au. 1. 83. q. quod Deus singula propriis rationibus creati, & alia ratione hominem, & alia ratione equum: sed rationes rerum in mente diuina dicuntur idee, ut patet per Aug. ibidem. ergo sunt plures idee.

¶ Præter. Secundum hoc iunt aliqua distincta, quod Deus earum distinctionem cognoscit: cognoscit autem earum distinctionem in seipso. ergo distinctarum rerum sunt in Deo plures & distinctæ idee.

**S**ED CONTRA. Oñ nomen quod in diuinis dicitur, aut est essentiale ut Deus, aut personale ut pater, aut notionale ut generans: sed hoc nomen idea neque est personale, neque notionale, quia non conueni-